

Klein Bogen





9 27
ANNUENTE SPIRITU INFINITO
DISPUTATIONUM PNEVMATICARUM
QVINTAM ET ULTIMAM

CONCLUSIONES DECISIVAS
DE

SPIRITIBUS FI-

NITIS, COMPLETO, ET IN-
COMPLETO SEPARATO,

SUMMATIM

EXHIBENTEM

PVBLICO EXAMINI SVBJICIUNT

PRÆSES

M. HEINRICUS Baumann /

TORG. COLLEG. PHIL. ADJUNCTUS,

ET

RESPONDENS

BALTHASAR STOLBERGIUS,

Mitvveidensis Misn.

In Auditorio Minori

Ad diem Nov. Horis Antemer.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M DC LIX.

28.

ANNO 1711
DIE 10
MARTII
M. J. STORBERG
PUBLICO EXAMINI SUBIICIT
PRAES
M. J. STORBERG
TOCIS COLLEG. PHIL. ADIUNCTUS
BALTHASAR STORBERG
ALUM. BOV. UNIVERSITATIS
HALLAE
1711





I. N. J.

PROOEMIUM.



Spiritu Infinito ad finitos, s. dependentes Pnevumaticus rectà transit. Nec suspendere progressum possunt protrita de principio cognoscendi Spirituum Finitorum Completorum existentiam dubia, quæ multis, (imprimis *Adr. Heerboord. vol. 1. disp. 12. th. 2. Meletem, & Pnevum. C. XIX. p. 299. ex naturâ illorum existentiam probari posse neganti; & c. XX. p. 325. Pnevum. valdè dubitanti, an animæ defunctorum, quæ th. 5. d. c. obsessorum corpora movere exceperat, seipsas & alia corpora movere possint*) crucem figunt. Nimirum lumen Naturæ, quantillum etiam sit, sibi relictum, adeò obfuscare nemo potest, ut Spirituum Finitorum Completorum nulla in eodem appareant vestigia. Abi ad obsessos, & abjectâ de animarum separatarum in aliena corpora transmigratiõne sententiâ, quam etiam recta ratio non uno nomine ceu absurdam damnat, operationes illorum juxta normam sanæ rationis pondera, Excedunt illæ haud rarò virium humanarum modulum. Dedecent eadem sepe Deum: & nihil est, quod concursum ejus peculiarem, & singularem principij, pessimè organis obsessi abutentis, elevationem persvadeat æquo æstimatori. Ad hæc unionem istam Accidentalem perram, & præternaturalem examina, Nullam Spiritus finiti, obsessum agitantis, ab hujus corpore dependentiam, nullam naturalem ad illud ejusdem inclinationem deprehendes, unde essentiam ejusdem incompletam colligere possis. Quid ergò obstat, quò minus principium istud activum Spiritum Finitum absolutè completum in essendo & subsistendo, quantumvis malum (quicquid etiam sit de bono) vocare velis? Conjunge cum iisdem operationes, in admirandis præstigiis atque Ethnicorum oraculis obvias, & singula, quæ has circumstant, perlustra. Omnia Spiritum Finitum Completum clamant, & Philosophum,

A 2

si non

si non Laicum, ad cognoscendam illius naturam ne dicam existentiã, invitant. Verum salva res est. Salva etiam dissentientiũ autoritas. Nos in præsentì, quæ de Spiritibus finitis, & cumprimis, quæ de Spiritu finiti incompleti statu separato maximam partem probabiliter ex nature sinu haurire possumus, potissima fortè, sub Disputationis incudem C. D. vocamus. Sit ergò

CONCL. I.

Spiritus finiti sunt Substantiæ Spirituales finite vel Completae, vel Incompletae, à quibus illa specie differunt, hisque essentiali nobilitate longè superiores existunt.

§ 1. Sistitur hinc Spirituum finitorum tum Convenientia, tum differentia. Conveniunt in eò, quod sint Substantiæ Spirituales, h. e. immateriales, & incorporeæ, omniumque corpori, quã tali, competentium proprietatum imprimis quantitatis expertes: Et finite, non tantum entitativè, quia dependent à Deo; sed & attributivè, ubicativè, durativè & operativè. Hæc omnia patent partim ex præcedentibus, & ab Autoribus, ex diversis fundamentis hinc inde probantur & inculcantur; partim ex sequentibus lucè accipiunt. Differunt verò (1) quod alii cõpleti, alii incompleti, quorum illi de se certam absolvunt Entis speciẽ: hi verò naturali destinatione, & per se complent esse alterius. (2) Quod suo modo diversæ sunt speciei, cum alij completam, alij incompletam habeant naturam, unde & Nicolai th: 33. Michael: genus substantiæ Spirituales creatæ ad completam & incõpletam se habere dicit, ut genus essentiali ad species essentiali subjectas. (3) Nobilitate essentiali, quia essentia completa nobilior est incompletã, ut de majori nobilitate potentiarum in illã nunc nihil dicam.

§ 2. Singula ferè Conclusionis hujus membra suos habent oppugnatores, expugnatores nullos. Negant Substantias esse alij Spiritus finitos Completos, quos vide apud Henr: Nicolai, præprimis th: 10. Exercit. de Angelis: Incompletos alij, veteres nimirum Philosophi, quos laudat Job. Cottunius Veriensis Phil: Med: & SS. Theol. D. & c: in limine operis de triplici anima statu disp. 1. per multas paginas, ubi animam vel Harmoniam, vel Crasin, vel accidens esse statuẽtes refutat. Sunt, citantibus B. Marr. p. 542. lib: 2. th: 1. Ex. 2. Cl. Vosio lib: 1. de Idol. c. 6. Nicolai ex alijs l. c. etiam

etiam quidam ex Patribus, qui corpora, subtilissima tamen affi-
xerunt Angelis, qualia & animas habere quosdam somniasse no-
tat *Joh. Cott. l. d. & disp. 10. f. 1. p. 278. Scaligerum in exercit. 359.*
quantitatem revera talem & prædicamentalem (quam ille tamē
intelligibile vocat) Angelis tribuisse *Cl. Zeifoldus §. 46. d. 6. Pnev.*
contra B. Jac: Mart: l. 2. Exer. Met. ex. 3. th. 6. & Scheiblerum l. 2.
Met. c. 6. tit. 1. art. 1. n. 6. tantum Virum excusantes, probat inde,
quod Intelligentiis attribuerit extremitatem & figuram, quæ
quantitatem prædicamentalem præsupponant. Multos itidem
Animam separatam incompletum Ens esse negare observat *Cl.*
Ebel. disp. 14. Metaph. gen. sect. 3. Art. 3. & d. 6. Met: spec. sect. 1. Art. 2.
Contra hosce Adversarios Notandum (1) quod ab extrinsecâ cor-
porum, qualiacunque etiam fuerint, in quibus, per singularem
Dei *ὁμοιομίαν*, Angeli apparuerunt, adherentiâ ad illorum na-
turam & intrinsecam constitutionem planè N. V. C. (2) quod
quantitas intelligibilis à sensibili intellectu abstracta, ab intelli-
bili, quam cum Scaligero quidam propter intellectus nostri, im-
materialia in ordine ad materialia concipientis, imbecillitatem,
amplectuntur (si, quod negat Dn. Zeifoldus l. c. Scaligeri mē-
tem hi rectè assequuntur) distinctissima sit; cum illa in sensibili
semper existat, istamque tanquam fundamentum suum semper
præsupponat: hæc verò terminetur tantum in intellectu, cu-
jus figmentū est sicut mundus vitreus, aut immaterialitas sensi-
bilis. (3) quod, quamvis anima separata accedat ad rationem
suppositi, subsistat tamen modò incompleto, & imperfectè
tàm ratione speciei & finis, quàm certo respectu ratione potē-
tiarum & operationum. [4] quod Spiritus finiti dicantur fi-
niti, non quia transcendentali unitate finiti, quò modo nō-
nulli, purioris mentis, quam lingvæ, Deum etiam finitum
vocant; nec quasi, sicuti forme materiales, ad materię recipi-
entis capacitatem sint determinati; sed quia fines habent ef-
sentia, potentia &c. [5] quod sola separatio, quæ talis, non
possit causare esse completum, unde nec anima, nec partes in-
tegrales, à corpore separatæ, esse completum accipiunt, sive
actu, s. potentiâ ad alterius esse ordinari dicantur. [6] quod
inclinatio, quam ignis habet ad ferrum, & potentia, secun-
dum

dum quam in aqua separata datur reunio, non sit eadem cum inclinatione & potentia animae separatae ad rursus informandum corpus; unde nec completa illorum essendi ratio esse huius incompletum tollit. (7) quod Differentia inter Spiritum Finitum Completum & Incompletum quoad intellectum & voluntatem itidem specifica sit, qualis datur inter eosdem quoad essentiam. Proprietates enim istae imitantur suas naturas. (8) quod, quamvis Angeli sint etiam propter homines, essentiali tamen & officiali illorum nobilitati eodem ipso non minus derogetur, atque Praeceptoris dignitati, quam habet praediscipulo. Vid. Thomas p. 1. Summ. Theol. qu. 50. art. 2. p. m. 230. & Cajetanus in istum l. d. qu. 51. art. 1. Suarez d. 35. Met. sect. 3. n. 1. 6. 8. 10. seq. n. 33. seq. Conimbr. de An. Sep. d. 1. a. 7. p. m. 591. Ebelius d. 6. 7. Met. Spec. Nicolai, Scheiblerus l. c. Heerboord. l. 2. Pn. c. XX. p. 318. Geisf. cont. X Pn. p. 127. seq.

CONCL. II.

Immortalitas Spirituum Finitorum essentiale natura ipsorum consequens est.

§. 1. Inter alia Spirituum Finitorum attributa communia eminet maxime ipsorum Immortalitas. Hanc ex natura sua illis competere probamus; quia Spiritualem habent naturam, ab omni materiae concretione liberam, adeoque intrinsecae corruptioni minime obnoxiam, ut de corruptionis extrinsecae per creaturam impossibilitate nihil addam. Quae posita immortales ab intra & extra, ratione potentiae finitae, recte dicuntur. Quid Cartesii pro immortalitate animae in Resp. ad object. secundas allatum argumentum in recessu habeat, quis vel obiter illud inspiciens, facile advertit. Est autem tale: *Quicquid clare percipimus, a Deo fieri potest, prout illud percipimus; sed clare percipimus mentem h. e. substantiam cogitantem absque corpore, h. e. absque substantia aliqua extensa, & vice versa, corpus absque mente. E. saltem per divinam potentiam mens esse potest sine corpore, & corpus sine mente.* Egregie satis! Quis isti Herculi extorqueret talem clavam, nisi forte Arriaga, qui in d. X. de An. sect. 1. subs. 1. p. 579. seq. omnibus pro immort. An. argumentis nervum incidere tentat.

§. 2. Ab

76
§.2. Ab hâc, communissimâ licet, sententiâ recedunt tum illi, qui Angelos naturâ corruptibiles esse ajunt, quos citat *Nicolaus th. 47. Michael.* tum qui vel expressè Immortalitatem Animæ negant, quos vide apud *Tholosanum de Immort. An. l. 3. c. 3. p. 330. Conimbr. p. 563. l. c. Valentiam l. 1. d. 6. q. 1. de ess. an. pu. 3. Scheiblerum, Ruvium de an. sep. &c.* vel eandem animæ separatae naturalem esse concedere nolunt, inter quos *Scotus l. 1. sent. d. 43. q. 2. Cajet. in c. 9. Epist. ad Rom. cit. Scheibler. l. 2. c. 5. Met. tit. 2. art. 1. n. 11.* Notandum verò (1) quod Immortalitas, quæ hujus l., non sit absoluta; sed comparata, & tantum à parte post, ut loquuntur, talis. Atque hinc (2) non excludat potentiam obedientialem ad annihilationem per absolutam Dei potentiam; quamvis etiam certo censu Spiritus finiti respectu Dei in annihilabiles & indefectibiles dici possint, quateus nempe ex natura & inclinatione illorum id non est, nec ulla potentia passiva realis ad corrumpendum in illis datur. Receptio enim annihilationis (quam, atque sic extrinsecam destructionis capacitatem illorum, Deus in actum deducere potest, quando vult) non est secundum; sed præter illorum naturam. (3) quod Spiritus finiti per gratiam immortales dici possint, tum quatenus Deus influxum suum conservativum ordinarium gratiosè ex liberâ voluntate suâ continuat: tum quatenus immortalitatem suam habet originaliter non ex se; sed à solo Deo: minimè verò, quatenus immortale per gratiam illud dicitur, quod (licet intra se principia corruptionis habeat) speciali actione Dei conservatur, ne pereat. (4) quod immortalitas animæ sufficienter probetur ex lumine naturæ, si demonstretur, eam intereunte corpore non simul interire, adeoque sine corpore esse posse: quamvis ex rectâ ratione non constet, an Deus iisdem influxum suum conservativum semper largiri, atque sic eandem nunquam annihilare velit; cujus tamen suspicionis, quæ *Arriaga l. 6.* suboritur, contrarium sanæ rationi etiam magis consentaneum videtur. (5) quod *Arriaga l. c.* negans Immortalitatem animæ naturalem, vel inde probari posse; quia Spiritualis (quales etiam animæ actus Spirituales, quæ defectibiles, esse regerit)
vel

vel inde; quia Substantia per se subsistens (qualis & anima
brutorum) committat fallaciam divisionis illorum, quæ jun-
gi debebant. (6) quod Non-Neminis, contra quem dispu-
tat *P. Voetius p. 598. append. Th. Nat. effatum* (animam
nempe bruti, tam esse immortalitatis capacem, atque animam
rationalem) absurdum sit; licet etiam concedatur illius con-
servatio à principio extrinseco, Deo profecta, à quo solo aliàs
anima rationalis annihilari potest. *Vid. de Immort. Angel. Thom.
l. c. a 5. Suarez d. 35. Met. sect. 3. n. 52. B. Jac. Mart. p. 67. Ex. Met.
& Ebelius p. 136. Met. spec. Nicolai th. 48. Mich. de Imm. An. cum-
primis Joh. Cottunius qui à p. 82. ad p. 210. pro immortalitate illius
ex veterum monumentis, cum primis Aristotelis [quem alii
cum Arriaga hic dubium hæsisse putant] erutis argumentis
acriter contra varios pugnat. Tholosanus lib. c. P. Voetius in
app. cit. Th. Natur. Conimbricenses, Ruvius l. c. Heerboord. p. 302.
303. l. 2. c. XX. Pnev. & vol. 1. Melet. d. 43. Fr. Oviedo T. 2. qu. 16. p. 213. & c.*

CONCLUS. III.

*Spiritus Finitos, Completos, & Incompletos, etiã separatos, intelli-
gere & loqui, vel potius suos sibi invicem communicare conceptus,
certum est: modus verò intelligendi & loquendi nobis non usque à
deò constat.*

§. 1. Perfectionibus hisce Substantias imateriales & sociales
gaudere nullus facile inficias ibit. De modo easdẽ exercen-
di, adeoque actu intelligendi & loquendi major paulò accu-
ratus rem pensanti difficultas obtruditur. Nam nihil fer-
mè hic, in quo mens tutò acquiescat, decernere potest Philo-
sophorum chorus. In his quidem punctis conspirant pluri-
mi. (1) quod intellectus Spirituum Finitorum quandoque sit
in actu, quandoque in potentia ratione hujus vel illius ob-
jecti cognoscibilis. (2) quod illi simul intelligant multa ut
multa. (3) quod intelligant etiam componendo, dividendo,
ac discurrendo; quod ipsum, cum discursu nempe eosdem
res naturales quoque cognoscere, *Johannes Johanniꝝ Episcopus
Calagurritanus in cursu suo Philosophico p. 704.* absque sufficien-
ti ratione negat. (4) quod intelligant alia à se distincta (si
Deum cum Thomistis per propriam illorum essentiam ipsum
cogno-

cognosci afferentibus excipias] per species intelligibiles, absque dependentiâ tamen à phantasmatibus. An verò istæ species ipsis (Angelis puta, quantum ad hoc) sint congenitæ, an divinitus infusæ, an ab ipsis objectis quocunque modo abstractæ & acquisite, in hac vitâ vix ab homine decidi posse, putat *Heerboord. d. 15. Vol. 1. Met. th. 6.* unde & *Arriaga l. c. p. 579.* hic mavult divinare, quàm certum quid pronunciare. Maxime tamen probabile plerisque videtur, Angelos per species & sibi connatas, & à Deo infusâs; Animam separatam verò per infusâs præsentia, per memorativas, de quibus infra, præterita cognoscere; quamvis, si diversos animæ status, ex naturâ etiam quodammodo cognoscibiles, consideres, nondû omnis difficultas è medio sublata sit. Quin eandem auget *Cottunius, qui d. X. sect. 5. p. 286.* in modum infusionis specierû, quas ab influentiâ divini luminis Animam separatam accipere putat; &, an modus intelligendi absque dependentiâ à phantasmatibus animæ separatæ naturalis sit, *d. 6. sect. 8. p. 126.* inquirere præsumit. Aliorum similes conjecturas mitto. Modum loquendi Spirituum finitorum, præsertim Completorum, quod spectat, illum nullus lingvarum Magister sufficienter explicare potest. Loqui eosdem per impressionem specierum intelligibilium, ut effectivè imprimant alteri conceptum similem conceptui isti, quem habent in suo intellectu, non ultimi subsellii Philosophorum fert sententia, quam tamen vellicat, *Cl. Ebelius in d. 6. Met. spec. a. 3.* ob sequentes rationes, quod (1) sequeretur Angelum loquentem agere in distans, vel non posse absentem loqui. (2) quod locutio sic non esset in loquente, sed audiente, cui imprimitur species. (3) quod homines quoque angelis speciem aliquam imprimere possent, cum humani cordis arcana non innotescant angelis, antequam locutione manifestentur. Verum hæ rationes nondum improbabilem reddunt istam sententiam, quam ab ejusmodi exceptionibus vindicare fortè quis posset, regerendo ad (1) quod locutio, quæ fit ad præsentem, potissimum h. l. sit: locutionem verò Angelorum ad absentes *Thomas p. 1. Sum. SS. Theol. qv. 207. concl. art. 4. p. m. 454.* partim inde

B

pro-

probat ; quia localis distantia in illâ , consistente scilicet in intellectuâli opere , nullum impedimentum præstat ; partim inde , quia localis distantia non impedit , quin unus Angelus alium videre possit. Accedit , si quis in rationibus Thomæ mecum non acquiesceret , motus illorum celerrimus , atque instantaneus , cuius beneficio intra momentum alter alteri sese præsentem sistere potest , ad 2. quod specierum impressio , quomodocunque etiam fiat , sit tantum in agente seu loquente , uti receptio est tantum in audiente , ad 3. quod quærat h. l. de locutione angelorum ad se invicem ; non de vocum humanarum perceptione. Neque adæquatum humanas cogitationes cognoscendi principium est illarum elocutio. Magis eidem videtur officere , quod 1. Angelus etiam ad Deum dicitur loqui , cui nullam imprimere potest speciem. 2. quod non satis explicari potest , in quo consistat illa specierum impressio , adeoque obscurum per æquè obscurum exponitur. Sed si declinemus nunc modum loquendi cum Deo [quem *Henric. Nicolai th. 44. Michael.* per directionem actuum Angelorum ad ipsum pro laudando , admirando , impetrando institui putat ; quibus gemina habet *Thomas l. c. art. 3. p. 453.*] & difficultates , quibus premuntur aliæ ab istâ diversæ sententiæ , comparentur cum ultimâ istâ , quam non dissimulamus , maximæ probabilitatis palmam ista opinio reliquis præripere videtur.

§. 2. Diverſas Autorum sententias circa hæc difficultatis puncta collegerunt *Thomas p. 1. Th. 5. qv. 54. 55. seqq. à p. 246. ad 272. & qv. 107. p. 451. Conimbricenses, Scheiblerus, Ebel. l. c.* Notandum verò [ut de iisdem & eorundem cognatis , mentem nostram aperiamus liberius] (1) quod nec potentia intelligendi , nec Intellectio Angelorum & Animæ , sint ipsa illorum essentia , quæ immutabilis , cum illa mutari possint instar Accidentium essentiæ superadditorum , & ab eâdem realiter distinctorum , quicquid hîc etiam videatur *Ebelio disp. 6. sect. 3. art. 1. pn. 1. & Adriano Heerboord. d. 13. vol. 1. th. 1. cum Scotistis contra Thomistas facientibus. Vid. B. Jac. Mart. p. 596. 604. Exerc. Geilfus. ont. X. Pn. p. 127. Cottunius p. 144. l. c.* 2. quod non
tan

tantum Angeli; sed & animæ separatae [quas Heerboord. p. 319. c. 20. l. 2. Pn. non nisi per speciem vel expressam, vel impressam intelligere putat) sese cognoscant per suam essentiam. nō per speciem; cum hic objectum intimè unitum sit intellectui, ut nullā vicem illius supplente specie opus esse possit. Cur v. anima corpori unita tantum per speciem ac reflexivè seipsam cognoscere possit, explicant Suarez. T. 1. p. 22. Ebel. disp. 6. Met. Spec. c. 3. art. 1. pu. 1. Cottunius p. 286. l. c. An etiam intellectus tum angeli, tum animæ separatae immediatè, absque specie intelligibili, vel, uti nonnulli duriusculè loquuntur, per propriam suam essentiam, cognoscant, inter Thomistas illud affirmantes, & Scotistas, quibus favent Heerboord. disp. 15. th. 4. l. c. Johannes Johanniz p. 107. Curs. Philosoph. idem negantes, disputari solet; ubi Thomistarum sententia majoris probabilitatis speciem plurimis præ se ferre videtur. 3. quod imperfectio, quam modus cognoscendi per discursum, s. ordinativum, s. continuum, i. e. illativum, involvit in ordine ad intellectum increatum, tanta non sit, quæ cum perfectione Angelorum, quæ animas antecellunt, consistere nequeat. 4. quod locutio, quæ tribuitur Spiritibus finitis completis & incompletis extra corpus, quod hi informare, illi assumere possunt, explicanda sit non materialiter; sed formaliter, quod ex conceptis Conclusion: hujus verbis patet. Quæ de objecto, cum primis cognitione futurorum, & cogitationū humanarum, ut & de habitibus illorum intellectualibus, certissimis intellectiois principiis, moveri possunt dubia, enodaverunt sæpius laudati; cum primis Excellent. Dn. D. Scharfius in Pneum. p. 363. 378. seq. Ebelius, Nicolai, Heerboord l. c.

CONCL. IV.

Ubietas Spirituum finitorum est realis, impartibilis, & predicamentalis, adeoque ratione latitudinis & longitudinis, non parvitas limitata, formaliter consistens in Substantiali, non tamen locali, ad spacium propinquitate.

§. 1. De Ubietate Spirituum intricatę lites disseminatę sunt, quibus omnibus componendis manum nunc admover

nolumus. Potissima primis quasi labris degustare placet juxta ductum conceptæ Conclusionis. Eò probamus 1. Ubietatem Spirituum finitorum esse realem & Prædicamentalem; quia illorum essentia talis est, E. & ad essentia. Nec obstat, quod Anima tanquam Ens incòpletum excludatur Prædicamento substantiæ. Hujus enim dubij facillima est resolutio. 2. esse impartibilem, ita, ut Spiritus Finitus totus sit in toto, & totus in quâlibet spaciij particula, quoad essentiã; quia totus est, ubicunq; est, quod inde constat, quia secundum partem alicubi esse nequit, quippe cui repugnat habere partes. 3. esse limitatam ratione magnitudinis, latitudinis & longitudinis; quia de se non cuivis maximo spacio (quale etiã est hoc universũ) adæquatè adesse possunt, propter essentiæ suæ finitatè: non ratione parvitatè, quia nihil obstat dicunt, quin Angelus suam indivisibilem essentiam cuivis puncto, etiam indivisibili, pro suâ libertate, possit applicare. 4. Ubietatis hujus formalitatem poni in substantiali propinquitate; quia hæc positâ, illa ponitur: & hæc sublatâ illa tollitur. *Scheibler. l. c. 17. Metaph. §. 19. 20.* 5. Ubietatem istam esse propriè sive Physicè localem; quia, quod ex *Concl. 2. dis. 2.* manifestum est, localitas præsupponit quantitatem, à spiritu remotissimam.

§. 2. Has Decisiones nostras destructum eunt directè 1. *Armandus de Bello Visu in tract. de term. expl. c. 198. p. 372. & D. Horstius lib. 1. Instit. Log. tr. 1. c. 7.* qui Ubi Spiritus finiti reale & Prædicamentale esse negant, solûq; imaginariũ statuunt. Quò & inclinatur *Fonscal. §. Met. c. 15. qu. 16. sect. 2. p. 909.* ubi verisimile esse dicit prædicamentum Ubi confici duntaxat ex loco. 2. *Durandus & Hervæus, qui, cit. Svarez d. 35. sect. 3. n. 46.* Angelum ubique esse affirmant, & qui vel cum *Hibernico cit. Vasquez in Thom. T. 2. d. 191. c. 1.* Ubi Angelorum Sphæricæ figuræ esse statuunt; vel cum alijs Angelum substantialiter non nisi sibi adæquato Ubi, non majori (quod facilè largimur) nec minori, ad esse posse censent 3. Thomistæ qui communiter Spiritum finitum formaliter alicubi esse per operationem transeuntem asserunt, pluresque alij ex Scholasticis formalitatem Ubietatis hujus longè aliter explicantes, quorum, exceptis illis, septem classes recenset *Tannerus*

T. 1.

T. 1. diff. 5. qv. 2. dub. 3. cum quo conferri potest Vasquez l. c. d. 87. c. 1. Svarez d. met. 51. sect. 4. Nicolai sect. 3. §. 15. tract. de esse alicubi. 4. Illi, qui Spiritus Finitos etiam in loco (definitivo scilicet quem sibi cum Heerboord d. 13. th. 5. vol. 1. Mel. Cottanio d. 10. sect. 11. p. 280. l. c. aliisque, rectius sapè sentientibus quàm loquentibus, fingunt) esse volunt. Indirectè vero illi, qui cum Timplero l. 2. c. 5. q. 6. & Wendlino sect. 1. Cont. Phys. part. 1. c. 2. th. 4. §. 9. animam totam in qualibet corporis parte existere inficiantur, id quod non possunt non ad minimum etiã de spacijs Animæ separate ad æquati partibus simul intelligere. Notandum verò 1. quod Ubietas hæc Spirituum finitorum definitiva (quæ nihil aliud est, quam adessentia realis, quâ Spiritus creatus terminabili spacio de se, per essentia suæ designationem activam, adest impartibiliter, citra ipsius spacijs materialem occupationem) strictè ac propriè sumta inter Repletivam & Circumscriptivam media quasi sit, ut proinde ne intellectualis quidem vel Ubiquitas, vel Circumscriptio illorum admitti possit. 2. quod Ubietas ista Definitiva Circumscriptiva quidem possit dici intrinsecè ratione essentia, non verò extrinsecè ratione præsentia, per quam res corporeæ, de se, sibi spacijs proportionatum, illud dimensionibus suis occupando, ita designant, ut implicet aliud corpus ibi dari, propter dimensionum impenetrabilitatem. 3. quod non omnis Ubietas realis & Prædicamentalis requirat quantitatem; sed ea tantum, quæ est rerum corporearum. Rectius Ubietas Prædicamentalis dicitur esse designatio Alicubietatis Finitæ in re finitâ. Vid. Tannerus T. 1. Th. Sch. d. 5. q. 2 d. 2. u. 6. & Becanus p. 1. Th. Sch. tr. 3. c. 1. q. 5. concl. 2. 4. quod Ubi imaginarium sit merum Ens rationis, quamvis etiam ita se habere concipiatur, quatenus in eo à Deo quidpiam creari ac fisci potest. 5. Quod, licet exactè definiri vix possit, quanta præcisè sit amplitudo & latitudo, quam sibi ad summum Spiritus finiti assignare queunt; eosdem tamen in pluribus Ubi totalibus, adæquatis s. continuis s. discontinuis, ubicari non posse ipsorum in essendo finitas sat abundè probet. Quid verò per absolutam Dei potenti-

am hic fieri possit, definire nostrum non est. 6. Quod negat Spiritus finiti in puncto operatione, non statim negetur ejusdem in puncto presentia; id quod nos vel formale Ubietatis edocet. 7. Quod falsa sit illa Adversariorum Hypothesis, quâ autumant, posse aliquid per realem qualitatem alicubi operari, ubi substantialiter non sit presentis. Nec obstant, quæ pro stabiliendâ ista in medium afferunt exempla, vel ficta, vel ab hoc discursu prorsus aliena. 8. quod ἀφιλόσοφος sit, confusis, generalissimis, & abusivis vocibus, qualis est vox loci juxta Adversariorum acceptionem, res distinctas (Ubi Definitivum & Circumscriptum) appellare, ubi distinctæ voces suppetunt, quibus distinctè explicari possunt. 9. quod minus accuratè & propriè Spiritus dicantur occupare spatia sua, quamvis *Henricus Nicolai sect. 3. §. 30. de Esse alic.* phrasin illam rectè & satis latine explicatam planè hic repudiare nolit. 10. quod Spiritus finitus dicatur esse totus in toto spacio, & totus in qualibet spaciis parte non positivè, sed negativè, in quantum essentia Spiritus Finiti nullas partes extra partes admittit. 11. quod Totalitas ista in spacio toto & parte spaciis hic intelligatur, quoad essentiam & perfectiones essentielles; non æquè quoad presentiam, & proportionatam ad diversa Ubi adæquati puncta Spiritus applicationem. *Vid. Nicolai §. 11. sect. 3. tr. de Ess. Alic.* 12. quod Spiritus Finitus in qualibet spaciis parte totus existens, sit quidem in Ubi sui punctis extra seipsa existentibus; non tamen extra seipsum, quod adversantes inde colligunt. *Vid. B. Meisnerus p. 1. P. S. sect. 3. c. 6. qu. 3. & sect. 4. c. 7. q. 2. Magnif. Dn. D. Calovius c. 8. Met. Div. §. 5. c. 20. p. 2. Tannerus, Nicolai l. c. & in tr. de Multipres. §. 30.*

CONCL. V.

Anima Separata est in statu preternaturali & quodammodo imperfecto, nequaquam propriè violento, positâ quantumvis ejusdem propensione, etiam quoad actum elicatum, ad suum corpus.

§. 1. Animâ à corpore separatâ separatim existere in statu suo nemo negat, nisi qui forte μέμψυχωιν quendam cum Pythagorâ somniat. Illa verò nonnihil difficultatis habere videntur.

dentur, an status iste separationis in factio esse (qui est privatio actualis informationis, & unionis cum corpore actualis carentia) animæ naturalis sit, an præternaturalis an violentus ? an perfectus an imperfectus ? Nos & præternaturalem eundem esse dicimus quia animæ non competit ex specificâ suâ naturâ, neque ex inclinatione ac propensione naturali ; & tamen naturæ ipsius propriè non repugnat, neque eam destruit, neque vim aut violentiam illi infert : & quodammodo imperfectum ; quia in ratione subsistendi, quâ tunc gaudet anima, imperfectionem quandam importat. Violentum autem propriè esse, positâ quantumvis propensione ejus ad corpus secundum actum elicitem (quem illi absre denegant *Ruvius de An. sep. q. 7. n. 104. Suarez in 3. p. Tho. ab Ebelio p. 188. Met. spec. citatus, & Arriaga d. 10. de an. sect. subs. 3. p. m. 577.*) negamus ; quia anima propter spiritualem, quam habet, naturam, ad corpus non ita determinata est, ut, si contingat, illo destructo, naturalis suæ immortalitatis exercitium quasi nancisci, per naturam, aut inclinationem oppositam, istum modum existendi effectivè respuat. Adde quod nullum ibi sit agens extrinsecum, per quod violenter in statu illo detineatur anima, quale merito ad violentum propriè dictum & positivum requiri contendunt *Ebelius d. 21. Met. gen. f. 1. art. 3. & d. 7. Met. spec. f. 3. art. 3. atq; Heerboord l. 2. c. 20. Pnev. p. 191.* Et licet adesset, illo tamen remoto, anima non haberet principium effectivum redeundi ad corpus (quale habet lapis per manum in aëre detentus, illâ subtractâ, deorsum tendendi) cum â privatione totali ad habitum non detur naturalis regressus ; id quod observat *Cottunius p. 171. l. c.* Ita ergo propensio naturalis actualis animæ ad reunionem, non conjuncta cum effectiva resistentiâ, principio extrinseco, naturaliter possibilem effectum impediendi, oppositâ, nullam per se inducit violentiam. Quomodo autem se habeat cum violentiâ, quàm damnatæ animæ in isto statu præternaturali, & ex parte tantum imperfecto, persentiscunt, & cum earundem ad corpus suum propensione, divinare nunc non licet.

§. 2. Hanc

S. 2. Hanc nostram status animæ separatæ explicatio-
nem pervertunt illi, 1. qui statum animæ separatæ prorsus na-
turalem esse ajunt, quos laudant *Conimbricenses & Scheiblerus*.
2. qui eundem animæ violentum esse existimant, ab iisdem
citati. 3. qui præternaturalem illū esse negant, inter quos
& *Scheiblerus l. 2. c. 5. Met. sp. n. 55.* qui tanquā conna-
turalem illum cum *Arriaga subsect. 3. pag. 577. l. c.* con-
cipit, & *Cottunius pag. 161. l. c.* Notandum verò 1. quod
status animæ separatæ naturalis dici possit, quat. natura-
le opponitur supernaturali & violento, s. contra naturali, non
quat. præternaturali, quæ duo ultima (præternaturale & con-
tra naturale) confundūt *Scheiblerus, & Cottunius l. c. 2.* quod pos-
sit dici violentus secundum quid, si intelligatur illud de priva-
tivè violento, quod fit per nudam aliquam Subtractionem ali-
cujus conditionis aut status connaturalis, sine positivâ repu-
gnantiâ illius, quod patitur, juxta *Ebelium d. 21. Met. gen. f. 1. d. 3.*
qui tamen ipse, illo modo loquendi hîc utens, violentum istud
improprie tale esse agnoscit, l. c. 3. quod duratio rei non tollat
statum præternaturalem, cum in hîc, secus ac in contra natura-
li, aliquid perpetuò esse possit, quod *Scheiblerus & Cottunius l. c.*
non observarunt. 4. quod modus essendi, & imprimis inorga-
nicè operandi, extra corpus, animæ quidem, quâ Spiritus est, na-
turalis dici possit; non v. quat. ad corpus suum naturaliter or-
dinata dicitur; quem respectum tamen ad materiam in conceptu
suo semper involvit, ita ut ne Logicè quidem (uti *P. Voëtius P*
583. app: The. N. animam propterea ens compositum vocans loqui-
tur) secundum conceptum rationis ab eadem separari possit.
Nihil ergò hîc moramur *Cottunium d. 6. f. 8. p. 161. 162.* modum
istum essendi & operandi extra corpus ex natura animæ, quam
ad æquatè sumtam & naturaliter formam, & naturaliter im ma-
terialem, esse dicit, nasci, eique successivè, ratione status separa-
tionis, s. naturalem esse asserentem. 5. quod status iste con-
naturalis dicatur rectius ex mente *Arriagæ*, h. e. non miraculosus,
quàm ex mente *Scheibleri*, ut sit consequenter, vel quasi, na-
turalis; licet, dum nec supra, nec præter, nec contra nec juxta
natu-

naturam (nec à naturâ, quod nonnulli addunt) illam animam
convenire concedunt, & tamen ipsi connaturalem, diversimodè
explicatum, statuunt, ab æqui vocatione sibi minus cavere vide-
antur. 6. quod omnes quidem animæ separatæ sint in statu
imperfecto intrinseco (quo distinctionis temperamento Geil-
fufius hîc utitur) non tamen extrinseco, qui solis animabus dam-
natis proprius est. *Vid. Suarez d. 35. Met. s. 3. 4. 7. Ebel. d. 7. Met. sp.*
s. 3. a. 3. Heerboord l. 2. c. 20. Pn. p. 191. quibus adde B. Sperlingium l.
1. c. 1. Anthrop.

CONCLUS. VI.

*Anima separata non tantum potentias, tam organicas, quàm
inorganicas; sed & species intelligibiles, in hac vitâ acquiras, secum
affert.*

§. 1. De perfectionibus animæ, quæ in statu separato i-
psi conveniunt, nobis quidem parum in hac vita constare potest.
Hoc tamen certum est, quod secum afferat potentias inorgani-
cas, intelligendi & volendi, & organicas, sive vegetativas & sensi-
tivas singulas. Prius per præcedentia constat. Posterius, loquen-
tes de actu primo, non secundo illarum, probamus; quia ani-
ma separata, quæ unicam tantum habet essentiam, retinet poten-
tiam exercendi singula officia animæ vegetativæ & sensitivæ. Ani-
ma enim rationalis separata non desinit esse simul sensitiva, &
vegetativa, s. principium radicalè materialium operationum,
licet istas facultates extra corpus non exferat, & exerceat. Veri-
simile etiam est animam per species acquiras secum in illum
statum delatas, intelligere; quia memoriam intellectualem,
specierum asservatricem, retinet, adeoque rerum in hac vita gesta-
rum recordari potest. Hoc autem juxta *Ebelium p. 168 Met. sp.*
de illis qui rectæ rationis usu pollent, non de pueris & amentibus
intelligi debet.

§. 2. Hîc cum P. Voetio cum primis nobis res erit, qui
& potentias sensitivas, & species acquiras animam separatam
comitari negat. *p. 607. Th. R. f. in app. & p. 608.* quoad assertum
prius adstipulantem habens etiam *Geilfusium*, secundum entita-
tem ipsam potentias sensitivas post separationem factam perire
dicen-

C

dicen-

dicentem *Cont. XI. Pnevm. p. 148. Adrianus Heerboord* hic in
bivio haret, & quo se vertat, vix invenire potest. Negat primò
post mortem potentias sensitivas super esse; quia tres in homine
fingit animas *d. 28. vol. 1. Met.* quarum duas ultimas, sensitivam
& vegetativam, factâ dissolutione, perire concedit. Deinde verò
(missâ, quam de Animæ triplicitate fovet, paulisper sententia,
quod ex sequentibus patet) potentias illas primas non secundas,
(uti ipse quidem loqui amat) manere asserit in animâ separa-
tâ, inadæquatè, virtualiter, quoad actum primum, (*vid. l. 2.
c. 20. p. 313. Pn. ejus*) ab eâque tanquam à principio efficiente
per emanationem naturalem dependere; ubi tamen hoc ipsâ de-
nuo occurrit dubium, quod resolvere non audet: quomodo
nempe ab Animâ rationali, (ut principio) quoad substan-
tiam & essentiam immateriali, emanare possint, cum sint
materiales i. e. à materiâ dependentes in fieri esse & o-
perari. *Johannes Johanniz f. 703. l. c.* ibidem negativam am-
plectitur si potentia sensitivâ ab animæ substantiâ distingvan-
tur realiter. *Quomodo Franc. de Oviedo t. 2. qv. 16. p. 214. &
Arriaga d. 10. de An. sect. 3. p. 578.* circa idem difficultatis pun-
ctum fluctuent, ex eorundem verbis colligere in proclivi est.
Notandum v. quoad 1. quod, observante *Joh. Cottunio d. 6. f. 8.
p. 160.* anima sit principium immediatum ac proximum facul-
tatum atque operationum in organicarum; organicarum v.
mediatum ac radicale: quam ob causam easdem in anima
separata manere dicit quoad actum secundû; organicas v.,
quarum principium immediatum ac proximum est totum cõ-
positum (maximè corpus) quoad actum primum tantum. 2.
quod loquamur de potentiis istis præcisè, non illarum usu &
exercitio, quæ tamen adversantes semper confundunt, uti vi-
dere est apud Geilfus. imprimis. 3. quod ad potentias istas in
animâ superstites referamus etiam locomotivam, non pro vi
mutandi ω & s. Ubi, sed pro vi movendi de loco Physico in
locum Physicum, sumtam. 4. quod Anima, potentias orga-
nicas non exercens, non possit dici ociosa propriè, quia illa-
rum principium radicale tantum est, non proximum, quod de-
ficit. 5. quod potentia ipsæ penes animam residentes, antea
in

in statu unionis in actum deductæ, non possint dici, simpli-
eiter frustraneæ; sicut potentia videndi in homine à nativi-
tate cæco non dicitur frustranea (cum desint visionis organa)
licet etiam nunquam eliciatur visio è radice istâ. 5. quod,
quamvis potentia istæ non convenient Animæ, quæ Spiritus;
(aliàs n. cum actu secundo conjunctæ essent) attamen quæ
Spiritus, cum corpore humano uniendus. 6. quod potentia
illæ in se & quoad actum primum non sint materiales & cor-
poreæ, licet tales esse dicantur ratione operationum materia-
lium, in organo corporeo ac materiali receptarum. 7. quod
radicatio potentiarum illarum in Animâ non minus impedi-
at liberam & perfectam animæ speculationem, quàm ejusdem
ex se & naturâ suâ, in omni statu, ad materiam informandam
ordinatio quam Voetius p. 583. l. c. utrâque manu largitur.
Vid. Thom. p. 1. Th. q. 77. a. 8. & in append. p. 3. q. 70. a. 1. qui pro
nobis potius, quàm contra nos, uti vult Scheibl. l. c. militat.
Ebelius d. 7. Met. spec. sect. 4. a. 1. Cottunius l. c. Scheiblerus & c.
Quoad posterius v. contra Voetium (p. 608. l. c. objicientem 1.
Species in hac vitâ in Animâ non esse adeò defæcatas, ut ibi pu-
riores requirantur. 2. Cognitionem nostram in patria futuram
perfectiorem, adeoque nobilioribus tunc opus esse speciebus,
quibus subtilissimè, celerrimè, quævis cõcipiat anima. 3. Pro-
babile esse in illâ mutatione, quæ Animæ mortis instar, Deum
obliterationem omnium specierum intelligibilium, quarum
ope objecta cognovit, Animæ inducturum. 4. Animam, spe-
cies istas retinentem, reminisci etiâ posse eorum, quæ in vita
accidissent, adeoque fortè incidere in cogitationes tristes, mo-
lestas ac peccaminosas, cum statu Animæ beatæ, de quâ lo-
quitur, pugnantes. 5. Plerasque species in hac vitâ à phan-
tasmatibus desumptas esse, ut animam aliis imbui oporteat.)
Notandum 1. quod species intelligibiles memorativæ non sint
impuræ, si absolutè considerentur; licet iis species in alterâ
vita, animæ vel divinitus infusæ, vel ab eâ acquisitæ, longè
puriore dici possint. Species a. æquè puras tunc ad quæcunq;
cognitionis actum requiri, nondum probavit Voetius. 2. quod
speci-

specierum istarum positio, non tollat specierum novarum
vel infusionem vel acquisitionem, quam ad cognoscendum
tunc antea ignota vel non satis cognita, supra concessimus.
Rectè hîc *Oviedo T.2. Contr. 16. p. 219.* species, quas habuit ani-
ma in hâc vitâ, sufficiunt ad recordationem in illâ vitâ, & sine
necessitate finguntur noviter à Deo infusæ, per quas fiat recor-
datio. Vid. & *Ebelius d. 7. Met. sp. sect. 4. art. 3. 3.* quod magis
probabile sit, Deum non obliteraturum istas species; quam-
vis hoc fortè de speciebus, per quos anima in hâc vitâ cœlestia
imperfectè cognovit, concedi possit. 4. Cætera nos non mo-
vêt: Vid. modò cit. ut & *Conimbric. d. 3. de an. sep. a. 3.* qui plures
citant. *Arriaga subs. 3. p. 576. l. c. & p. 579. Geiblf. cont. XI. Pn. p. 149.*
Heerboord l. 2. c. 20. p. 317. Pn. Tantum! Stamus hîc, pedèq; dū
ad alia, alibi fortè ventilanda, progredi non licet, sistimus. Sic

SOLI DEO GLORIA.

Ad Eruditiss.

DN. RESPONDENTEM.

Quas Tibi divitias concesserit Atticæ
Peitho,
Constat. Nunc, Sophiæ copia quan-
ta Tibi,

Promis. Ad optatam sic tendunt singula metam
Orsa, Nec has operas rodere Momus amat.

PRÆSES,



94 A 7379

ULB Halle

3

002 376 911




sb


WMA

7/4
Nov 1993





80. I.
mediate
2. Ut
lingua
orum
n.l. no
amvis
us qua
aliis pe
ter pri
s defi
unt in
Deo r
eptu D
ia, qu
ens, c
attribu
e subfi
proba
atione
esse f
esse à
uction
negat
in esse
alter
s tam
fimo
em al
vogti
femin
abitu
dorsch.
Scheit
subfi
& rest
atim
PIRI



9 27

ANNUENTE SPIRITU INFINITO
DISPLITATIONUM PNEVMATICARUM
QVINTAM ET ULTIMAM
CONCLUSIONES DECISIVAS
DE
SPIRITIBUS FI
NITIS, COMPLETO, ET IN
COMPLETO SEPARATO,
SUMMATIM
EXHIBENTEM
PVBLICO EXAMINI SVBJICIUNT
PRÆSES

M. HEINRICUS Baumann /
TORG. COLLEG. PHIL. ADJUNCTUS,
ET
RESPONDENS
BALTHASAR STOLBERGIUS,
Mitvveidensis Misn.
In Auditorio *Minori*
Ad diem Nov. Horis Antemer.

WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN.
ANNO M DC LIX.

28

